


in quo acquiescant, sed, veluti à ventis agitati, modo in hanc, modo in aliam ruunt opinionem, consequenter etiam errorem, in quo persistere, quam eum confiteri sæpius malunt. Optimum proinde procedendi modum esse putamus, si non nimium *rationi* nostræ fida- mus, præsertim ubi *Revelationi* contradicere videtur, quo ipso non denegamus *rationis usui* in naturalibus om- nem plane perfectionem, ac si semper misere sese habeat, verum constanter asserimus, & sæpius illam recto Lumine naturali uti, licet non semper id faciat, vel etiam facere possit, ob quod ipsum certe parem cum *revelatione* certitudinem obtinere nequit, quin potius illi semper & ubique præferatur, & sola audia- tur, ubi aliam certitudinem ipsa *ratio* suadere intendit. Quare pium audit Decretum, quod referente Celeber- rimo HORNIO Histor. Eccles. pag. 361. Ordines Hol- landiæ Anno 1656. Mens. Octob. sciverunt: *Quod si a- lique oriantur questiones, contra quas Sacra Scriptura tan- quam repugnans allegari possit, tum illicitum fore Philosophis, Scripturam secundum principia sua interpretari, sed quicquid in Sacris Scripturis revelatum sit, id, tanquam omnium cer- tissimum, pro firmo & indubitato tenendum, tametsi ratio huma- na utcunque clare & distincte sibi videatur aliud præscribere. Semper enim Divina Autoritati soli plus fidei tribuendum, quam humano iudicio.* Sufficiant hæc pro examine Philosophico, plura quidem possemus addere, nisi a- liud nos juberent Leges præscriptæ, quibus & Vitam, & calamum submissa animi veneratione conformamus.

Finimus ergo cum Eo, in cuius Nomine au-
spicati sumus. DEO sit æterna Laus.

A M E N.



Coll. diss. A. 33, misc. 29